



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Caput III. De Forma Sacramenti Baptismi, & de baptismo sub conditione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

66 TRACTATUS II.

parentum. Et ideo contra iustitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur, sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus: esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare; quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo non habet hoc Ecclesie consuetudo, quod filii Infidelium, invitis parentibus, baptizentur.

CAPUT III.

De forma Sacramenti Baptismi, & de Baptismo sub conditione.

Quest. I. QUÆNAM est forma Sacramenti Baptismi?

Resp. Verba formæ Sacramenti Baptismi sunt. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut patet ex Concilio generali Lateranensi, relato in tit. de summa Trinitate, & ex Tridentino sess. 7. Can. 4. de Baptismo. Id autem nos docuit Christus Dominus cum dixit discipulis: *Matth. 28.* *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quæ quidem verba proferri debent distinctè, nihil omittendo, vel immutando; attentè ac devotè, statim ac infunditur aqua super caput baptizandi. Hoc non obstante ut ait Eugenius IV. in Decreto unionis in Concilio Florentino: non tamen negamus, quin & per illa verba: Baptizetur talis servus Christi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, vel: Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, verum perficiatur Baptisma; quoniam cum princi-*

Cap. Firmiter,
De summa
Trinit. & fide
Catholica.

De Sacram. Baptismi. Cap. III. 67

palis causa ex qua Baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas : instrumentalis autem sit Minister qui tradit exterius Sacramentum, & exprimitur actus qui per ipsum exercetur ministerium cum sancta Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum.

Quaest. 2. Quanam forma utendum est cum dubium est utrum ille qui Baptismum vult suscipere, jam fuerit baptizatus?

Resp. Ut habet Innocentius III. relatus in Canone : De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis praemissis : Si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo. Can. De quibus. De Baptismo.

Quaest. 3. Quid agere debet Parochus in Baptismo puerorum, qui fuerunt expositi?

Resp. Respondeo ex Divo Carolo : Infans expositus, si illum baptizatum esse non constat, baptizetur, haec tamen verborum formula. Si tu es baptizatus, ego non te baptizo, & si nondum es baptizatus, ego te baptizo &c. Quod quidem probatur primò auctoritate Divi Gregorii relati in Canone, ubi ait : Parvulos qui à parentibus subtrahuntur, & an baptizati sint ignorant, hos ut baptizare debeas secundum Patrum traditionem, si non fuerit qui testificetur, ratio postulat. D. Carol. Act. p. 2. In Synodo Dioces. 3. Decreto 11.

Secundò probatur ex Concilio Carthagenensi relato in Canone : Placuit, inquit Concilium, de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, absque ullo scrupulo esse baptizandos. Can. Placuit. De Consecr. dist. 4.

Denique sanctus Leo, Leoni Episcopo Ravennati scribens ait : Cum itaque Baptismi, sui nihil recordatur qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit qui sciat consecratum, nec ille qui consecratur; scimus Can. Cum itaque. De Consecr. dist. 4.

quod dicitur inexpiabile esse facinus, quoties juxta haereticorum damnata à sanctis Patribus instituta, cogitur aliquis lavacrum quod regenerandis semel tributum est, bis subire, Apostolica reclamante sententia qua nobis unam praedicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptismo Sacramentum. Sed in hoc nihil simile formidatur, quoniam non potest in iterationis crimen venire quod omnino factum esse nescitur: atque ideo, quoties persona talis inciderit, sollicita primum examinatione discutite, & longo tempore (nisi forte supremus finis immineat) indagato, utrum nemo penitus sit qui testimonio suo juvare possit ignorantiam nescientis: & cum constiterit hunc qui baptismatis indiget Sacramento, sola inaniter suspicione prohiberi: accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cujus in se nullum scit esse vestigium, nec vereamur huic salutis januam aperire, quam nunquam antea docetur ingressus.

Cap. Ex litterarum. De Apostatis,

Quaest. 4. Quam poenam incurreret Sacerdos, qui puerum jam baptizatum iterum baptizaret absque probabili dubio de ejus Baptismo jam suscepto?

Cap. Licet. de Baptismo.

Resp. Ut dicitur in Concilio generali Lateranensi: Si quis baptizatos rebaptizare ausu temerario presumpserit, excommunicationis mucrone percussus, ab omni officio & beneficio Ecclesiastico deponatur.

D. Carol. A. A. P. 4. De Baptismi adm.

Sanctus autem Carolus ait: Cum infans qui Baptismo offertur, re diligenter perquisita, dubium relinquitur, aut certe non apparet eum baptizatum esse, ut de expositis parvulis dubitari atque ignorari saepenumero solet. Quod si re accurate investigata, exploratum habuerit, illum formam servatam baptizatum

De Sacram. Baptismi. Cap. III. 69

esse: caveat omnino ne hanc sub conditione baptizandi formam adhibeat, cum sacrilegium committat, si contra fecerit, & illud impedimentum contrahat, quod sacri Canonnes irregularitatem vocant.

Unde idem Sanctus, De iis quæ Parochus antequam infans in Ecclesiam ad baptis. deferat. præmonebit. Cum vero sepe aliàs, tum maximè cum expositum baptizat, hoc graviter monebit, ut omnes quicumque sint, caveant suos, aut alienos filios exponere; tuncque ne exponant in loco publico ubi facile perirent, sed in hospitalibus locisve speciatim eo nomine constitutis: ac præterea collo appensâ alligatâve infantis qui exponitur schedulâ, aut nota alia indicante nomen & Baptismum, si baptizatus est.

Quest. 5. Est-ne baptizandus saltem sub conditione puer qui baptizatus est domi imminente mortis periculo?

Resp. Catechismus Concilii Tridentini sic respondet: *Qua in re diligenter à Pastoribus aliqua providenda sunt, in quibus ferè quotidie non sine maxima Sacramenti injuria peccatur; neque enim desunt, qui nullum scelus admitti posse arbitrentur, si quemvis sine delectu cum adjunctione illa baptizent: quare si infans ad eos deferatur, nihil prorsus querendum putant, an is priùs ablutus fuerit, sed statim ei Baptismum tribuunt: quin etiam quamvis exploratum habeant domi Sacramentum administratum esse, tamen sacram abluionem in Ecclesia adhibitâ solemnî ceremoniâ cum adjunctione repetere non dubitant. Quod quidem sine sacrilegio facere non possunt, & eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum scriptores irregularitatem vocant. Nam ea Baptismi forma ex Alexandri*

Catechismus
Concil. Trid.
De Baptismo.
§. 56.

Pape auctoritate, in illis tantum permittitur, quibus, re diligenter perquisita, dubium relinquatur, an Baptismum ritè susceperint. Aliter verò nunquam fas est, etiam cum adjunctione, Baptismum alicui iterum administrare.

Quæst. 6. Quid agendum est cum baptizatis ab hæreticis, cum abjurant hæresim ut fidem Catholicam profiteantur?

Resp. Cùm Calvinistæ & Lutherani hujus temporis hæretici, eadem utantur materia, eademque forma, qua Catholici utuntur, rebaptizandi utique non sunt post abjuratorem, nisi aliàs adesset dubium, an quis validè baptizatus fuerit; in quo casu baptizandi essent sub conditione, ut diximus; unde sanctus Gregorius relatus in Canone, sic habet: *Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctiōne Chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesie revocentur. Vnde Arianos per impositionem manus Occidens, per unctiōnem verò sancti Chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesie Catholica Oriens reformat. Monothelitas verò & alios ex sola vera confessione recipit; quia sanctum Baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, eùm vel illi per impositionem manus Spiritum sanctum acceperint, vel isti propter professionem vera fidei, sancta & universalis Ecclesie visceribus fuerint uniti. Hi vero hæretici, qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur, sicut sunt Bonosiani, & Cataphrige (quia & illi Christum Dominum non credunt, & isti sanctum Spiritum perverso sensu esse quemdam pravum hominem*

§. Greg. lib.
9. Epist. 61.
refertur in
Can. Ab anti-
qua. Et cap.
Hi verò. De
Consecr. dist.
4.

De Sacram. Baptismi. Cap. III. 71

Montanum credunt; quorum similes multi sunt) & alii tales, cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia Baptisma non fuit quod in errore positi in sancta Trinitatis nomine minimè perceperunt.

Ex hoc Divi Gregorii loco colligere licet, nequidem sub conditione baptizandos esse hæreticos, qui validè semel baptizati fuerunt, sed supplendas esse ceremonias secundùm præscriptum Ritualis Romani, ubi dicitur. *Hæretici verò ad Catholicam Ecclesiam venientes, in quorum Baptismo debita forma aut materia servata non est, ritè baptizandi sunt: sed priùs errorum suorum pravitatem agnoscant & detestentur, & in fide Catholica diligenter instruantur. Vbi verò debita forma & materia servata est, omissa tantum suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur.*

Rituale Roman. Tit. De Baptismo adultoruna.

Quæst. 7. Quam pœnam incurrunt qui Baptismum bis suscipiunt?

Resp. Sic legitur in Canone: Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quòd, secundùm Canones, ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat. Qui autem non ignari iterum baptizati sunt, quasi iterum crucifixerunt Christum, per septem annos pœniteant.

Can. Qui bis De Consecr. dist. 4.

Addit Glossa ibidem: *Et est sciendum, quod scienter rebaptizatus, est in perpetuum irregularis; si autem ignoranter, dispensetur cum eo ex causa.*

Quæst. 8. Quænam mutatio in forma Sacramenti Baptismi, reddit illud invalidum?

Resp. Respondeo ex Divo Thoma: Si subtrahatur aliquod quod sit de essentia forme, certum est quod non est Baptismus, & ille qui baptizat graviter peccat; quia apud

D. Tho. 4. sent. dist. 3. art. 2. quæst. tiunc. 3. in corp.

omnes invocatio Trinitatis est de essentia forma, ideo hoc nullo modo subtrahi potest. Sed quidam dicunt quod expressio actus non est de substantia forma; unde si subtrahatur, facta sola Trinitatis invocatione, erit Baptismus. Sed contra hoc est Decretalis Alexandri Pape III. Quod si quis puerum in aqua merserit, dicendo, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti; si non dicat, Ego te baptizo, non est puer baptizatus; oportet enim quod per formam virtus Trinitatis invocata ad materiam propositam determinetur, quod fit in expressione actus. Similiter expressio persona baptizata est de substantia forma, quia per eum determinatur actus ad hunc Baptismum: & ideo si subtrahatur, non erit Baptismus; sed expressio persona baptizantis, dicitur quod non est de forma quantum ad necessitatem Sacramenti, sed ex institutione Ecclesia, ut intentio magis feratur ad actum illum; & ideo si omittat, erit Baptismus, sed peccat omittens.

Quæst. 9. Licet-ne in casu necessitatis se ipsum baptizare?

Resp. Non licet, ut ait Alexander III. relatus in Canone; cum enim consultus esset ab Episcopo Metensi, quid agendum esset cum Judæo, qui in mortis articulo agens inter Judæos qui eum baptizare noluerunt, se ipsum in aquam immerfit dicendo: Ego me baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Respondemus, ait Pontifex, quod cum inter baptizatum & baptizantem debeat esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur dicentis Apostolis: ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti; memoratus Judæus est denuo ab alio baptizandus, ut ostendatur quod alius est qui baptizatur, & alius qui baptizat.

CAPUT IV.

Can. Debitum.
De Baptif-
110.